

rium. Quando vero secundarius est in C vel E, maxima intercedit differentia inter locum Martis ex planeta primario, & eundem, ex planeta secundario observatum. Differentia inter utrumque locum æqualis est angulo E B A five C B A.

Ex hoc apparet, quod si Terra esset planeta secundarius, qui circum C D E F circa Lunam absolveret, parallaxin aliquam longitudinis Martis satis sensibilem observari debere, propter differentiam inter locum Martis à Planeta primario & secundario visum. Tabulæ cœlestes, è quibus Ephemerides & motus planetarum supputantur, supponunt Terram esse Planetam illum primarium A, & ex hoc fundamento Locum Martis computare docent. Si vero Luna esset primarius ille Planeta A, locus Martis à Terra visus plurimum variare deberet. Quando enim Terra esset in D & F, id est in ♃♂ & in ♄♂, Martis locus observatus quidem cum calculo conveniret; in E vero & C, five in ☐♂, maxima notaretur differentia inter calculum & observationem. Etenim Terrâ existente in E, locus Martis videretur promotus in Ecliptica, & ejus longitudo aucta, quantitate totius Semidiametri orbitæ terræ à Marte visæ; terrâ vero in C existente, longitudo Martis tota semidiametro orbitæ terræ diminuta videretur.

Cel. Casinus ex Observationibus deduxit Parallaxin Martis, five semidiametrum terræ ex Marte visum, eo tempore quando Mars fuit in minima distantia à terra, 25". Semidiameter orbitæ Planetæ secundarii (sit ille five Luna five Terra) ad Semidiametrum terræ est ut 60 ad 1 circiter, quare Semidiameter orbitæ A E, five angulus E B A in distantia minima Martis erit 25 minuta prima; & tanta esse deberet differentia inter Martis locum supputatum & observatum (si scilicet Terra circa Lunam moveretur) ita ut in primo quadrato Martis & Lunæ observatio calculum 25 minutis superare, in altero vero quadrato totidem minuta ab eo deficere deberet, ut tota inæqualitas motus Martis, quæ propter motum terræ circa Lunam oritur, ad 50 minuta assurgeret. Cum vero talis inæqualitas nunquam sit observata, haud leve inde oritur indicium, perperam Terræ motum circa Lunam tribui.

Afferam quasdam ex meis observationibus Martis, quas circa stationem ejus secundam, mense Januario Anni 1724 habui, & ex iis examen insti-